QVÆSTIO MEDICA.

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS VII. MENSIS MARTII

MAGISTRO IOANNE COVSIN, DOCTORE ET MODERATORE MEDICO REGIO. 652

Senesne ieiunium facillimè ferunt.



VMANVM Corpus principijs duobus, quatuor elementis ijsdemq; contrarijs constans, perennem suæ substantiæ triplicis effluxum cùm patiatur; citiùs ineuitabili mortis necessitati subijceretur, nisi similis substantia pro ea quæ defluxit restitueretur. Hinc insita animantibus alimenti necessitas; quod par ei quod effluxit, vel eò vberius, vel parcius in locum exhausti reponitur. Ei muneri incumbit altrix facultas, nunquam ab opere (quod est vacuati repletio) feriatura. Hinc nutritio & respiratio μοῖραν παραμόνιμον definiunt. Huius dissipationis causa efficiens calor natiuus, dum pabulum perpetuo sibi substernendum requirit; ne voracitate sua proprium subiectum humidum oleosum (cuius gaudet iucundéque fruitur commercio) confertim absumat; quod tamen paulatim carpens, quem sui & animantis interitum non intendit, eum necessariò accelerat: vna salus ambobus, vnum commune periclum. Eiusdem restaurationis causa idem calor, omnium facultatum primum ac præcipuum instrumentum, qui primo dissimili, subsequentibus tandem varijs alterationibus reddito simili alimento, partes omnes fouet, alit & conseruat: vna & eadem ortus nostri & interitus causa.



I dissipationi vt respondeat ἀναπλήρωσις, oportet alimentum esse coquenti dissipantique calori analogum: qui vt in omnibus non tantùm eiusdem generis, ac speciei infimæ idem reperitur, verùm etiam in eodem etiam indiuiduo alius atque alius existit: ita alimenti ratio non in omnibus eadem, agentis cum patiente necessaria proportio. Huius varietatis geminæ causæ, internæ, externæ: internæ sunt temperamentum, habitus corporis, sexus, ætas, consuetudo: externæ, anni tempus, cæli constitutio, vitæ victusque conditio. Ex anni itaque temporibus, hyeme propter caloris incrementum, cibus plurimus sit, frequens, calidus siccus, potus quàm æstate parcior meraciorque: æstate contrà paucus, frigidus, humidus, frequenter tamen; potus quàm in hyeme contraria sit ratio: vere omnium temporum ad ieiunium aptissimo, cibus potusque quantitate & qualitate moderati; autumno copiosior sit quàm æstate cibus, per longiora tamen interualla concedendus.



NNI temporum naturam proximè æmulantur regiones: calidarum regionum incolæ minùs cibi appetunt, potui liberaliùs indulgentes: frigidarum plus cibi, minùs potus, sed meracioris postulant; Arabes inediam διάτριτον facilè ferunt, cuius etiam vnius diei impatientissimi sunt Germani: temperatarum omnia temperata requirunt: inæquali victu gaudent inæqualium, modò tenuiori, modò largiori, idque ἀκινδύνως. Cæli status in præscribenda diæta, leuis erit ratio & momentanea: maior vitæ victusque generis, viatores, fossores, improbis laboribus exercitijsve vitam conficientes, longiori somno indulgentes, νεόγαμοι, grauidæ, lactantes, abstemij, εὐπέπτοις, κακοχύμοις, ὀλιγοτρόφοις vtentes cibis pleniùs cibentur: parcius litterati, otiosam cælibemque vitam agentes, nimiò vigilantes, δυσπέπτοις, εὐχύμοις, καὶ πολυτρόφοις qui saginantur eduliis. Consuetudinis alterius naturæ vices gerentis, in diætæ legibus qui non meminerit, nusquam sibi bene consultum intelligat: qui semel, bis, ter, quaterve cibari consueuerunt, toties cibentur: illius vires qui non negauerit, sobrios, & temperatos voracibus gulæque deditis ieiunium faciliùs ferre nouerit. Animi pathemata, vt mores, corporis sequuntur temperamentum.



ST autem temperamentum in ciborum quantitate & qualitate definienda potissimùm obseruandum, vt cuius interuentu cætera agunt. Hoc in viuentibus duplex, naturale & præter naturam: illud sanitatis, hoc morborum, quorum naturam atque tempora nosse hîc plurimi refert: morbis acutis sæuientibus, extremosque labores habentibus tenuissimo victu vtêris: ab omni prorsus in ipsis morborum paroxysmis abstinebis; nam cibum dare noxium est. Naturali temperamento qui calidi & humidi, copiosissimo alimento refici indigent: secundo loco calidi sicci: deinde calidi & in cæteris temperati: inde sicci: postmodum temperati in omnibus: pauco contrà alimento opus habent humidi, & in cæteris temperati: pauciori, frigidi: his adhuc pauciori, frigidi, humidi: omnium paucissimo frigidi sicci. Habitus corporis temperamenti vt index temperamenti rationem sequetur; gracili, carnoso, & duro plùs alimenti detur quàm obeso, molli, plethorico: plùs viris (vt rationem sexuum habeamus) quàm mulieribus exhibeatur.



TATES sua etiam habebunt in victus lege momenta, eaque (in quantum caloris per se solius diætæ modum indicantis, statum certò designant) maxima: quarum differentiæ pro variis & insignibus natiui caloris per totum vitæ statum contingentibus mutationibus, quaternario numero comprehenduntur. Quæque suum viuendi modum sortitur; adolescentia, calidissima humidissima, copiosissimum & frequentem; minorem iuuentus calida sicca: hac adhuc minorem virilitas frigidior siccior: omnium paucissimum in vtraque etiam quantitate, (si decrepitam exceperis, quæ sæpius ac partitis vicibus refici indiget) exposcit frigidissima siccissima senectus.

Ergo senes ieiunium facillimè ferunt. 99



Propugnabat Lutetiæ IACOBVS IOVVIN Parisinus, Anno R. S. H. M. DC. XXIV.